

/ Illustrissimo et R/mo Domino Dño Cardinali Bellarmino, ordinis
Coelestinorum Protectori meritissimo, fr. Joannes Kerremans humilis
prior Coelestinorum Heverlensium obedientiam et reverentiam.

Illustrissime et Reverendissime Pater. Literas Ill/mae D.V/rae
5 datas 8 Novembris recepi 21 februarii, quae ut mihi paternum tuum
erga me affectum ostendunt pergratae fuerunt, humiliter gratias
ago immortales quod pro me immerito tantum laboris impendere dig-
nata fuit Ill/ma D.V/ra, quod Suam Sanctitatem accessit et coram
ea negotia monasterii nostri et ordinis, ut verus Protector, pere-
10 git. Ego, ut mentem Summi Pontificis cum mandato R/mi D/ni genera-
lis nostri et Provincialis Franciae percepi, illo die quo mihi li-
terae illae traditae sunt (qui dudum antea curâ sanctimonialium
Bygardiensium abdicata, me in monasterium nostrum Heverlense rece-
peram) Ill/mum Dñum Nuncium accessi eumque de omnibus quibuscumque
15 mihi offendi potuerat veniam rogavi, et quod ei deinceps omnem re-
verentiam et obedientiam exhiberem humiliter promisi, quod aequo
animo feci, nec aliter facere, ubi voluntatem Suae Sanctitatis ta-
lem esse intellexi, cogitare potui. Nec obstante quod sciam monas-
terium Bygardiense per absentiam meam, in temporalibus praecipue,
20 maximum pati detrimentum, imo periculo laborare ne partem magnam
bonorum suorum perdat quorum ego solus notitiam habeo, nec ideo
quod incurri indignationem multorum qui dicti Monasterii agros et
prata injusto titulo per iniquam alienationem et fraudem posside-
bant, ex quorum manibus magna parte industria et summo labore re-
25 cuperata, indubie obloqui et post tergum venenum suum spargere non
desinunt, adeo quod honori et bonae reputationi meae conveniens
esset ad eandem curam redire et incepta opera perficere, quod ta-
men, etiam re cum Ill/mo Dño Nuncio per discessum aut alio modo
placata, facere non decrevi, nisi illud cum bona pace et benedic-
30 tione Suae Sanctitatis Ill/mae D.V/rae autoritate et aliorum Su-
periorum meorum consilio et consensu futurum scivero. Quod Dominus

/ Nuncius significavit se visitationem apud nos de voluntate Archi-
ducis principis nostri Alberti fecisse, Princeps noster se nunquam
miscuisset nisi ad hoc a Dño Nuncio incitatus fuisset; semper e-
nim de me (ut mihi Archiepiscopus Mechliniensis sepe attestatus
5 est) bene sensit et locutus est. Nec sua Celsitudo, nec quisquam
mortalium aliter vere de me loqui potest, quod Ill/mae D.V/rae
testor in veritate. Super his ante pedes Ill/mae D.V/rae humili-
ter prostratus ad devotum amplexum me erigens, suppliciter oro
mandare dignetur hac in re amplius quid faciendum desiderat; sum-
10 mo fruar gaudio ubi aliquid de mandatis suis exequi valuerō. Inte-
rim orabo Deum ter maximum ut Ill/mam et R/mam Dominationem V/ram
Ecclesiae suae sanctae, ordini nostro, et mihi ad obediendum et re-
verendum diu conservare dignetur superstitem. Ex domo sua Hever-
lensi, 22 februarii 1619.

15 Ill/mae et R/mae D.V/rae humillimus et obedientissimus
filius
fr.Joannes Kerremans prior indignus

Ill/mo ac R/mo Domino Domino Cardinali Bellarmino Coe-
lestinorum Protectori etc. plurimum Honorando.

(cachet)

=====

20 (manu Bell.): Non ha bisogna di risponsa.